PLUTARCHI

VITAE DECEM ORATORUM

PLUTARCHI

VITAE DECEM ORATORUM.

RECOGNOVIT

ANNOTATIONEM CRITICAM

ET

COMMENTARIOS

ADIECIT

ANTONIUS WESTERMANN.

ACCEDIT

DE AUCTORE ET AUCTORITATE VITARUM DECEM ORATORUM COMMENTATIO.

QUEDLINBURGI ET LIPSIAE

SUMPTUM FECIT LIBRARIA THEOD. BECKERI.

MDCCCXXXIII.

TYPIS OFFICINAE TH. BECKERI.

edd. ***Reiskii***, ***Wyttenbachii***, ***Huttenii***, qui quae aut ex libris aut ex coniectura protulerunt omnia in annotationem criticam redegi. Librorum manu scriptorum etiam *Wyttenbachius* in vitis decem oratorum edendis in praef. p. CLXVII. se usum esse dicit uno tantum significato litt. E. Parisino nr. 1672. saec. XIV. eoque praestantissimo atque ex cod. A. item Parisino nr. 1671. saec. XIII. exscripto; tamen inde a pag. 847. demum commemoratum invenio alium codicem H. item Parisinum nr. 1680. saec. XIV. ubique cum E. consentientem. Vid. praef. p. LXX. LXXII. Quamobrem earum lectionum quot enotavit Wyttenbachius inprimis ratio habenda erat. Eiusdem viri expertus sum veritatem iudicii, cum dicit PHOTIUM vicem codicis supplere; qui cum has Plutarchi vitas aperte compilarit, saepe ad verbum expresserit, quasdam praebet certissimas emendationes. Eodem modo iudicandum est de DIONYSIO HALICARNASSENSI, quem ad verbum nonnunquam Plutarchus exscripsit; aliorum quos laudat scripta omnia intercidisse vehementer est dolendum; de qua re dixi in commentatione. Item codicum scriptorum auctoritatem habet prima Moralium editio, *Venet. Aldus et Andr. Asul. m. Mart.* 1509. *fol.* a Demetrio Duca curata, quamquam mendis scatet innumerabilibus. Vid. Wytt. praef. p. LXXVIII. sqq. Sequuta est editio *Basileensis* hoc titulo: *Plutarchi moralia opuscula multis mendarum millibus expurgata*, *Basil. Froben. et Episcopius* 1542. *fol.* Praebet illa textum Aldinum a plurimis non solum typographi, sed etiam librariorum quibusdam erroribus liberatum, in quibus mutationibus cum rarissime consentiret cum lectionibus quas multas e multis codicibus habebat Wyttenbachius, has potius ab ingenio correctoris profectas quam e veteribus libris

petitas esse iudicabat. Vid. praef. p. LXXXVII. sqq. Deinde praeclare de Plutarcho meritus est GUL. XYLANDER, qui primum *Latine* edidit Moralia *Basil.* 1570. *fol.* et iterum 1572. adhibito codice ab Episcopio accepto adiectisque annotationibus, *Graece* post Stephanianam demum *Basil. ap. Episcop.* 1574. *fol.* Interim subsequuta est, quae vulgata dici solet, HENR. STEPHANI editio operum Plutarchi omnium, *Genev.* 1572, *XIII Voll.* 8. quorum prioribus tribus Moralia continentur. Repetiit Stephanus Aldinam, sed multis in locis ope Iannotii, Turnebi, Schotti, Amyoti feliciter correctam; sed dolendum quod mutationum rationem nullam reddidit, annotationes non adiecit nisi ad quinque Moralium libros, in quibus non est liber de vitis decem oratorum. Vid. Wytt. praef. p. CVII. sqq. Deinde ter repetitus est textus Stephanianus in tribus editionibus *Graeco-Latinis*, duabus *Francofurtanis*, una quae prodiit *apud Andreae Wechelii heredes Claudium Marnium et Ioannem Aubrium*, 1599. II. Voll. fol. cuius paginam ad marginem annotavi, quaeque praeter Xylandri Stephanique annotationes continet indicem variarum lectionum ex edd. Aldina et Basileensi (a. 1542), item ex libris Turnebi, Vulcobii, Bongarsii, Petavii, quas, licet augeant pretium editionis, neque omnes tamen neque accurate enotatas esse usu cognovit Wyttenbachius (vid. eius praef. p. CXV. sqq.); — altera descripta *in officina Danielis ac Davidis Aubriorum et Clementis Schleichii*, 1620. *II Voll. fol.*, addito suspecto libro de fluminibus cum notis Maussaci; — tertia *Parisina a.* 1624. *II Voll. fol.* adiectis Io. Rualdi libro de vita Plutarchi eiusque annotationibus, editio non magni facienda, quia in quibus a prioribus recedit mutata sunt aut silentio aut librorum

auctoritate nulla allata. Iam his studiis diu intermissis prodiit demum editio viri de hoc genere litterarum meritissimi, Io. Iac. Reiskii, Lips. 1774—1782, XII. Voll. 8, cuius item uti Francofurtanae paginam apposui, quia has a plurimis laudari solere animadverti. De qua editione, quam ne censendam quidem omnino in editionibus dixit, aliquanto acerbius quod attinet ad Moralia iudicavit Wyttenb. praef. p. CXXVI. sqq. Vitis enim nondum absolutis mortuus Reiskius ad Moralia manum non admovit; inchoatum opus nescio per quem absolvi curavit redemptor adiicique annotationes quas iam pridem ille in Animadvv. ad Graec. Auctt. t. II. vulgaverat. Harum quae ad textûs emendationem spectarent omnes enotavi, non quo probarem omnes aut falsa propagarem, sed ut viderent iuvenes quousque audacia Reiskii processerit haberentque quo ab nimio emendandi studio, quo mirum quantum vir bonus flagravit, similibusque erroribus revocarentur; quamquam insunt etiam egregia quaedam, alia minime spernenda. Itaque Wyttenbachii risum atque vituperationem effugisse mihi videor in eos iure meritoque invehentis, qui singulas universasque Reiskii animadversiones temere repeterent. Omnes vero longe multumque superavit vir acutissimi ingenii admirabilisque Graeci sermonis peritiae, Dan. Wyttenbachius, qui edidit Moralia subiunctis notatione emendationum et Latina Xylandri interpretatione castigata, *Oxon.* 1795—1800. *V Voll. in* 6 *Partt.* 4. (*XII Voll.* 8.) *Animadvv. II Tom. ibid.* 1810—1821. 4. (*II Voll.* 8. — *Morr. Vol. I. P.* 1. 2. *Lips.* 1796. 8. Repetitio operis non absoluta. *Animadvv. ibid.* 1819. *II Voll.* 8.), quibus nuper accessit *Tom. VIII. Index Graecitatis, Oxon.* 1830, 2 *Partt.* 8. (vid. Berlin. Iahrbb. 1832.

I. nr. 113. 114.), quo vellem uti mihi licuisset. Atque is quidem, ut docet in praefatione, multis usus est ad emendandum Plutarchum libris manu scriptis, quos et ipse Parisiis contulit et alibi ab aliis collatos accepit; ad vitas decem oratorum emendandas solos Codd. E. et H. adhibuit, de quibus iam dictum est. Reliquas textui subiectas lectiones atque emendationes aut ipsi ingenium eximium aut aliorum virorum mox nominandorum scripta suppeditaverunt, quae etsi non omnes probandae esse videbantur, tamen vel unam omittere religioni habui. Id unum in magno viro liceat improbare, quod vulgatae librorum scripturae in textum recipiendae nimis tenax est in eis etiam locis quos in annotatione aut ipse corrigit aut ab aliis verissime correctos esse docet: id quod maiori etiam offensioni est in vitis decem oratorum quae corruptissimae ad nos pervenerunt, neque in integrum nisi audaciore emendatione restitui possunt. Eodem fere tempore novam Tubingae parari Plutarchi editionem e Reiskiana repetendam fando audivit Wyttenbachius (vid. praef. p. CXXVIII.): prodiit ea *opera* I. G. Hutten. *Tubing.* 1791—1805, *XIV. Voll.* 8. qui tamen Moralia paucis mutatis ad textum Wyttenbachianum accommodate, quamquam non satis accurate descripsit. Hinc denique novissima profluxit Moralium *editio stereotypa Lips.* 1820, *VI Voll.* 16. — *Conversionum* praeter nominatam Xylandream non spernenda est *Francogallica* Amyoti, quae omnia Plutarchi opera continens prodiit *Paris.* 1567—1574, *XIII Tom.* 8. (rep. et auct. *Paris.* 1783—1787, *XXII Tom.* 8. et *ibid.* 1784. *XVIII Tom.* 8.) ac facta est in locis corruptis secundum bonorum librorum lectiones atque virorum doctorum inprimis Turnebi coniecturas. Verbo tetigisse satis habeo aliam *Francogallicam* Mo-

ralium conversionem, Ricardi, *Paris.* 1783—1794, *XVII Tom.* 8. editam, quae magis in usum hominum elegantium quam doctorum comparata est, quamque ipse contuli, uno excepto loco qui legitur pag. 852. A. nihil utilitatis suppeditantem, denique *Germanicam* I. F. S. Kaltwasseri, *Francof.* 1783—1800, *IX Voll.* 8.

Superest ut dicam de reliquis viris doctis qui emendando libro de vitis decem oratorum operam dederunt. Atque de antiquioribus iam Wyttenbachius in praef. p. XC. sqq. exposuit. Primi sunt Nic. Leonicus et Donat. Iannotius, qui exemplari edit. Aldinae, cuius apographa hodieque servantur in biblioth. Romana et Leidensi, et librorum manu scriptorum lectiones et coniecturas suas adscripserunt. Sequitur collectio Andr. Schotti, uti appellavit Wyttenbachius librum Schotti nomine et manu inscriptum, in quo lectiones e codd. excerptae cum lectionibus Aldinis coniunctim scriptae sunt. Maioris momenti et praestantiae sunt lectiones quas et ex ingenio et ut videtur ex libris desumptas exemplari Aldino adscripsit Adr. Turnebus, aliae Anonymi cuiusdam in margine exempli Basileensis scriptae, aliae codicis Bongarsiani, aliae Ioannis Vulcobii, quas partim ex veteribus codicibus partim ex coniectura profluxisse nuper commonstravit *Car. Sintenis* in epist. praem. ed. Plut. Themist. p. XXXIII. sqq., aliae codicis Petaviani quibus propter optimorum suorum codicum consensum plurimum auctoritatis tribuit Wyttenbachius, aliae denique Claudii Bacheti de Meziriac († 1638) adscriptae margini exempli Stephaniani in biblioth. Leidensi asservati, coniecturae ut videtur omnes; quamquam enim interdum librum veterem adhibuit, tamen in vitis decem oratorum nusquam

hoc a Wyttenbachio annotatum est. Has lectiones in annotatione critica significatas notis *Leon. Schott. Turn. Anon. Bong. Vulc. Pet. Mez.* quippe partim certe ex codd. desumptas magno mihi ad textum quantumvis recte constituendum usui fuisse fateor: quamquam multos adhuc superesse locos qui vitio laborent cuivis largior: sed hos corrigant acutiores. Denique verbo nominandi sunt viri docti qui passim prout occasio ferebat in hoc libello emendando operam collocaverunt, *Hier. Wolfius*, *Lambinus*, *Meursius*, *Salmasius* (exemplum Stephanianum cui emendationes suas adscripsit ex libris Gronovianis ad Wyttenbachium pervenit), *Palmerius*, *Valesius*, *Taylorus*, *Ruhnkenius*, *Sluiterus*, *Boeckhius*, *Meierus*, *alii*, quorum quotquot nossem emendationes, egregias quasdam et vere palmarias, omnes attuli; sed non est dubitandum quin in tanta librorum volvendorum copia trepidantem quaedam effugerint.

Scripsi Lipsiae d. 24. m. Maii a. MDCCCXXXIII.

DE AUCTORE ET AUCTORITATE LIBRI QUI INSCRIBITUR VITAE DECEM ORATORUM COMMENTATIO.

Librum qui inscribitur *βίοι τῶν δέκα ῥητόρων* omnium pene consensu a doctis hominibus Plutarcho abiudicatum esse inter omnes constat. Unum ille tamen nuperrime ac sagacissimum nactus est propugnatorem, *A. G. Beckerum* [1]), qui satis erudite ac feliciter, ut solet, quae contra attulerunt adversarii argumenta refutavit atque libellum vero eius auctori restituere conatus est. Qui etsi eo rem perduxit, ut mihi quidem nulla superesset dubitatio, non vereor tamen ne acta agere videar, si iterum hanc rem in quaestionem vocavero, Beckeri argumenta partim confirmavero, partim amplificavero, omnino id effecero ut quae sit libri huius ratio, qui usus, quae vitia lectores possint iudicare.

Plutarchum revera vitas decem oratorum scripsisse certum est; testis est ipsius filius Lamprias, cuius in catalogo scriptorum Plutarcheorum legitur etiam *βίοι τῶν δέκα ῥητό-*

1) Andokides übersetzt und erläutert v. Dr. Alb. Gerh. Becker. Nebst einigen Abhandlungen literarisch-kritischen Inhalts. Quedlinb. u. Leipz. 1832. 8. p. 111—132.

ρων [2]). Concedunt omnes, sed negant easdem esse quae etiamnum eius nomine circumferuntur. Quae quum in omnibus, quod sciam, libris manu scriptis inter Plutarchea legantur, controversia aliter dirimi vix poterit, quam si quis ex universa huius libri indole atque ratione demonstraverit, Plutarchum ita scribere aut potuisse aut non potuisse. Atque ista quidem huius libri indoles ac ratio ita comparata est, ut in partes eorum qui Plutarcho adversantur, dummodo ad quam totam quaestionem dirigunt normam probes, facile concedas. Quaqua enim librum evolvas, incomposita omnia, discerptae sententiae, praepostera tempora, confusae personae, perturbatus ordo, rerum caussae nusquam aliae ex aliis aptae et nexae, nihil suo loco dictum, quaedam suspecta ac plane falsa. Quo quum nihil quicquam a Plutarcho, peritissimo alioquin rerum nectendarum et enarrandarum artifice, alienius iudicarent, sic eum scribere potuisse praefracte negaverunt et in alia omnia discesserunt. Ad hanc opinionem lapsi sunt, ut alios taceam a Beckero iam notatos [3]), inprimis *Jo. Jonsius* [4]), tum *Jo. Taylor* [5]), qui non solum conviciis atque clamoribus libri scriptorem indigne consectatus est, verum etiam, quod vel

2) Primus hunc catalogum edidit ex cod. biblioth. Florent. D. Hoeschel, Aug. Vind. 1597 (1598). 4., repet. in edd. opp. Plut. Francof. 1620. f. et Paris 1624. f. et in Fabricii Bibl. Graec. t. III. p. 334. sqq., ed. Harl. t. V. p. 159—167. Idem ibid. p. 167—171. plenior sed diverso ordine legitur ex ms. Veneto a Siebenkeesio descriptus. Solus de hoc catalogo, qui iam Suidae tempore exstitit (v. Suid. *v.* *Λαμπρίας*), addubitavit Beckius in epist. ad Harles. praem. ed. Plut. de phys. philos. decret. p. XIV. sq. quamquam rationem non subiecit.

3) Jo. Rualdum, Jac. Gaddium, Reiskium (qui t. IX. p. 307. ed. opp. Plut. alium Plutarchum recentiorem et ignobiliorem auctorem esse putat; cf. Eiusd. Animadv. ad Graec. Auct. p. 114. et 497), Kaltwasser, Groddeck, Schoell; quibus accedant Chapman, qui in diss. de Ulpiano hunc vitam Demosthenis scripsisse arbitratur, et Fabricius, Bibl. Gr. ed. Harl. t. V. p. 188.

4) De script. histor. philos. p. 233. sqq. Cf. Becker l. l. p. 116—119.

5) Lectt. Lys. cap. 5. et 6. Praef. ad Dem. Mid. t. III. p. 302. Appar. Schaef. Animadv. ad Aeschin. p. 369. Reisk.

mediocriter docto in mentem venire potuisse mirati alii sunt, Photium libri auctorem esse, Plutarchum nihil nisi Photiana compilasse et erroribus auxisse credidit [6]), in quem errorem rapuit etiam *Ricardum* [7]); deinde paullo consideratius atque placidius *Dav. Ruhnkenius* et *Dan. Wyttenbachius*, quorum alter suspicatus est, mera esse excerpta, nullo vel ordine vel delectu facta ex Hermippo, Caecilio, Dionysio Halicarnassensi aliisque deperditis vitarum scriptoribus, quae, qui ex Lampriae catalogo didicissent Plutarchum eiusdem argumenti librum scripsisse, re non explorata Plutarchi nomine proscripsissent [8]), alter Plutarchi librum posteriores grammaticos et librarios mutilasse et interpolasse, atque ita immutatum editionibus decem oratorum praeponere solitos esse [9]). Horum virorum opiniones et argumenta, si quae attulerunt, fuse et copiose iam refutavit Beckerus; quare nos tantum id urgeamus, non ad quam par erat normam eos totam quaestionem direxisse. Scilicet novum erat et plane inauditum, tam incondita et incompta a Plutarcho esse profecta; quod quum

---

6) Lectt. Lys. cap. 6. Cf. Ruhnk. hist. crit. orr. Graec. p. 48. ed. Lugd. Becker l. l. p. 114. annot. 6.

7) Oeuvres morales de Plutarque trad. en franç. par M. l'abbé Ricard, t. XI (Paris 1789. 8) p. 33. »Il est plus vraisemblable, comme quelques savans l'ont conjecturé, que c'est la production informe d'un Ecrivain obscur, posterieur peut-être à Photius, qui a écrit aussi les vies de ces dix Orateurs, et que son imitateur servile a copié jusque dans ses erreurs.«

8) Histor. crit. orr. Graec. p. 47. sq.

9) In Censura Sluiteri Lectionum Andocidearum, in Bibl. crit. Vol. III. P. 3. p. 87. Dolendum quod hoc non, ut pollicitus est, in sua Plutarchi ed. uberius declarare potuit. Ibi enim t. VII. (Moral. t. IV) p. 340. nihil aliud quam haec: »Nomen reliquimus, ut in titulis aliorum spuriorum librorum: nam hunc non esse Plutarchi ita manifesto arguunt cum ratio tum oratio, ut dudum iam constet de hac re inter doctos homines.« In ea sententia, ut aliquis has vitas ex copiosiore libro excerpserit et in brevius contraxerit, video etiam esse *Kiessling.* Quaestt. Att. p. 6. Sed tum copiosiorem quoque illum librum omni rerum ordine caruisse dicas. Nam qui quod legit excerpit, ita solet instituere, ut eodem quo legit ordine excerpat, non quae recte disposita legit dedita opera disiiciat ac disiungat.

semel negavissent, in ipsam rem ne inquisiverunt quidem; inveteravit enim opinio, quodcunque vetustatem tulisset, tersum ac limatum et ad legem ac regulam compositum esse oportere; itaque longis ambagibus eo tendebant, quo uno gradu pervenire poterant. Id magis etiam mirum, quum praeivisset *Hieron. Wolfius* [10]), vir simplicis et acuti ingenii, qui iam ante inventum Lampriae catalogum professus est, se propemodum suspicari, Plutarchum huc congessisse, quicquid uspiam de hoc oratore (Isocrate) legisset, non quod omnia probaret, sed ut suum iudicium per otium interponeret atque accurate omnia describeret; deinde has suas schedas sive rhapsodias propter tanti viri auctoritatem temerario editionis honore vulgatas esse. Recte iudicavit vir eximius, neque abhorret a veri similitudine, quod Lamprias religioni habuerit, librum a patris manu scriptum, licet minus limatum et ab ipso non divulgatum, a reliquis eius operibus excludere atque in oblivionem adducere. Neque vero id ipsum eget demonstratione, Plutarchum eiusmodi commentarios paratos habere potuisse, in quibus quod aut legenti aut audienti aut cogitanti occurreret raptim quasi et tumultuarie exararet; tam varium enim ac multiplex eius erat doctrinae studium, ut si memoriter cum omnia scripsisse credas ne Simonidea quidem memoria suffecisset [11]). Quae quum ita sint, non dubito quin isto opere habeamus collectanea quae dicuntur vel adversaria, in quae prout occasio offerretur quaecunque coniiceret, quae ad decem oratores pertinerent, eorum vitas olim ex ordine accurateque descripturus [12]).

Restat ut ex reliquo huius libri habitu demonstremus, ne dicam Plutarchum eius auctorem esse, certe nihil inesse quod

---

10) Annot. ad Plut. Dem. t. V. p. 310. Cf. Becker l. l. p. 130. annot. 40.

11) Quapropter maior, nisi fallor, Plutarcho quam Dionysio Halicarnassensi fides habenda, quem scimus temere interdum nec satis praeparatum ad scribendum accessisse. V. eius iud. de histor. Thucyd. cap. 1.

12) „Materialien, welche der Sammler einst weiter zu sichten, zu prüfen u. endlich zu einem wohlgeordneten Ganzen umzuschaffen gedachte.“ Becker l. l. p. 130.

impediat quo minus Plutarchum eius auctorem habeamus. Cuius argumenti duplex est ratio; spectat enim partim ad formam dicendi, partim ad ipsas res. Ac primum quidem ad formam dicendi quod attinet, non puto fore quemquam qui de vero libri auctore ex ea sola coniecturam fieri posse contendat. Quod argumentum quum omnino in quovis vel perfectissimo scripto iudicando satis lubricum est — quia et prae animi humani imbecillitate summum in dicendo vario eventu sequimur, raro assequimur, et prae eiusdem animi sagacitate alius scriptoris orationem quamvis accurate ementiri possumus, ita ut vera a falsis aegre dignosci queant — tum auctori scripti alicuius imperfecti et inconditi investigando adhiberi plane nequit. Ubi enim res ipsas scriptor raptim et prout occasio datur in chartam coniicit, in elegantia dictionis et concinnitate haud solet operam collocare, non ex omni genere orationis flosculos carpit, sed simplicissimo quoque prout mentem subit verbo utitur, dummodo de qua cogitat notio ei subiecta sit; sibi scribit, non aliis. Si quid igitur in istis decem oratorum vitis aut negligenter aut ineleganter aut parum recte scriptum inveneris, ne putes hac de caussa id a Plutarcho profectum esse non posse, quod in reliquis eius scriptis haud exiguum accurate, eleganter atque recte dicendi studium deprehendatur. Interest enim aliquid, tibi scribas an aliis. Neque vero Graeci sermonis vel mediocriter peritus non videt permulta inesse quae, si auctor librum divulgare voluisset, diligenti emendatione indiguissent. Quis enim sanitate Demosthenica vel etiam Plutarchea elegantia assuefactus hiantia aequo animo legat, qualia sunt vit. Lys. p. 835. E. *ἐπιθεμένων δὲ τῶν — ἐπεὶ ὤφθη — ἐφ' οἷς κτλ*, vit. Andoc. p. 834. C. *εἰςαγγελθέντα — προσαμαρτῶν μυστήρια*, vit. Dem. p. 844. C. *καὶ εἷλεν — χάριτος*, aut negligenter dicta, ut vit. Dem. p. 844. B. *ἐγεγόνει ἐξ ἐφήβων*, vit. Din. p. 850. C. *χρήματα τῶν λόγων εἰσπραττόμενος*, aut vix ad sensum accommodate expressa, ut vit. Lys. p. 836. D. *ἀνέγνω — λόγον μέγιστον διαλλαγέντας τοὺς Ἕλληνας καταλῦσαι Διονύσιον*, vit. Isocr. p. 838. C. *ἀνάκειται — εἰκὼν — ὑπὸ Τιμοθέου* 13), vit. Hyp. p. 848. F. *μετὰ Χαιρώνειαν*, aut

13) Sed nolo hoc urgere, quia praep. *ὑπό* usus latius patet. In

obscura, ut vit. Lys. p. 836. B. *Σωκράτους ἀπολογία ἐστοχασμένη τῶν δικαστῶν* [14]), vit. Isocr. p. 837. A. *καὶ ἐκείνου — Βότωνος*, aut denique cumulate posita participia, ut vit. Isocr. p. 837. A. B. E. p. 839. E., vit. Hyp. p. 848. E., et relativa, ut vit. Isocr. p. 837. C. 839. B. et ita saepissime, quibus discrepantia uno tenore coniunguntur, item partt. *ὡς* cum infinitivo iunctam, ut vit. Isocr. p. 836. E. 837. C. 838. D. 839. A., vit. Lyc. p. 841. D., vit. Dem. p. 845. B. C., vit. Hyp. p. 849. D. E., et *δέ* plus sexcenties positam, et id genus alia [15]); qua ratione scribere patet eum, cuius non tam quomodo quam quid scribat interest, qui sibi modo raptim scribit, ut si quando usus fuerit ea in promptu sint, non *κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα*, ut ait Thucydides. At ex contrario quaedam in istis vitis leguntur, quae licet Plutarchum earum auctorem esse aperte non demonstrent, tamen cum reliqua eius dicendi ratione minime discrepant. Huc pertinent *vv. ἀνάγκαι* vit. Ant. p. 832. D., quo in plurali numero

---

vit. Ant. p. 832. F. *πρεσβεύων ὑπ᾽ αὐτῶν*, et in decret. II. p. 851. D. *ἐξέπεσεν ὑπὸ τῶν κτλ.* et paullo post *κατῆλθεν ὑπὸ τοῦ δήμου.*

14) Xylander convertit *defensio Socratis ingeniis iudicum accommodata.* Quod ut concedamus haec verba significare posse, tamen aptum sensum non praebent; quippe quaevis enim oratio ita debet esse comparata, ut ad iudicum ingenia se accomdet. Suspicor igitur vitium hic delitescere. Fortasse negatio excidit; constat enim hanc Lysiae orationem meram fuisse declamationem. Vid. annot. ad h. l.

15) Huc refero frequentem usum infinitivorum aut absolute, ut vit. Dem. p. 845. C., vit. Hyp. p. 849. E. al., aut paullo negligentius positorum, cuiusmodi est *infinit. iunctus cum v. ποιεῖν*, vit. Andoc. p. 834. D., vit. Lyc. p. 843. D., vit. Dem. p. 846 C., quamquam idem habet vit. alt. Dem. c. 31, et *iunctus cum v. ὁρμᾶν* vit. Ant. p. 832. C. *ὥρμησε μὲν πολιτεύεσθαι*, quod accuratius dicit vit. Mar. c. 4. *ὁρμῆσαι πρὸς τὴν πολιτείαν*, it. vit. Rom. c. 9. vit. Cic. c. 39. et *ὁρμᾶν ἐπὶ τὸ πράττειν τὰ κοινά* vit. alt. Dem. c. 12, it. ib. c. 26. vit. Cic. c. 32. d. adul. et amic. discr. t. VI. p. 194. et multis aliis in locis, quamquam etiam vit. Cic. c. 43. *ὥρμησε συνεκπλεῦσαι.* Sed non decet nimis esse suspicacem.

saepius utitur Plutarchus [16]), ut vit. Rom. c. 14. et 19, vit. Coriol. c. 36; *ibid.* *ἀπολείπεσθαι c. genit.* quod saepe Plutarchus sic usurpat ut sit *abstinere ab aliqua re, non consequi aliquid*, ut vit. Cic. c. 37, vit. Ages. c. 15, vit. Cat. min. c. 16, d. adul. et amic. discr. t. VI. p. 238. Reisk.; προηγουμένως vit. Dem. p. 844. B., coll. vit. Demetr. c. 1, d. fat. t. VIII. p. 252. bis, Sympos. 3, 6. t. VIII. p. 592. Rariora sunt vit. Ant. p. 832. D. ἀγχίνους, quod semel d. aud. poet. t. VI. p. 109. ex Hom. Od. N. 332. affert [17]); vit. Dem. p. 844. C. ἀνέλαβεν αὐτούς, quod nescio an non satis accurate convertat Xylander *in iis se exercuisse:* est potius *ediscere*, quem ad modum hoc verbo utitur Plut. vit. Ages. c. 20., quod Id. vit. Lys. c. 25. per ἐξεμελέτα explicat; vit. Dem. p. 844. B. et p. 846. E. παρέβαλεν, *discipulus fuit* Sed haec et similia persequi tum longum est tum difficile ac pene supervacaneum, quia non unius est haec usurpare vocabula, raroque scriptor aliquis tam insigniter ea solet usurpare, ut exinde de ipso libri incerti auctore probabilis possit fieri coniectura.

Quare ad alteram argumentationis nostrae partem iam transimus, qua in ipsas quae enarrantur res inquirendum nobis sumpsimus. Ac primum quidem concedamus, quod iam concessum est, nullo ordine cuncta composita esse atque digesta; quod quia alienum erat ab auctoris consilio nulla eget excusatione aut reprehensione. Diversis temporibus prout otium erat vel occasio singula congessit auctor; itaque non miramur crebras earundem rerum repetitiones, quales leguntur in vit. Isocr. p. 838. B. coll. p. 837. E., p. 839. B. coll. p. 838. A., p. 839. C. coll. p. 838. A., alibi. Neque facile aliquis negaverit permulta in istis vitis legi, quae vera nullo modo esse possunt. Sed duplex est genus eorum quae falsa profert auctor. Ac primum, quod genus multo est frequentissimum, ea complectitur, quae ab aliis memoriae tradita acce-

16) Oratorum imprimis Isocrates eiusmodi pluralia aucupatur. V. Spohn. ad Isocr. Paneg. c. 17. extr. p. 48.

17) Saepius habet *v.* ἀγχίνοια, ut vit. Sol. c. 5. vit. Lucull. c. 16. d. solert. anim. t. X. p. 15. Quos locos adde, si tanti est, Steph. Thes. nov. Paris. Vol. I. p. 538.

pit, non, ut Hieron. Wolfii verbis utar, quod omnia probaret, sed ut suum iudicium per otium interponeret; quod consilium quum abiecisset seu quovis modo quin exsequeretur esset impeditus, ipsi hos errores imputare nefas est. Alius generis errores sunt quos magis prae negligentia quam prae inscitia ipse commisit; ii tamen multo rariores et inventu difficiliores, quia quae ipse peccaverit, quae alii quos sequitur, sagaci coniectura modo licet augurari [18]). Huc referre non dubito locum vit. Antiph. p. 832. E. *Καικίλιος δὲ ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ συντάγματι Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως μαθητὴν τεκμαίρεται γεγονέναι ἐξ ὧν ἐπαινεῖται παρ' αὐτῷ ὁ Ἀντιφῶν*, ubi licet in quibusdam libris legatur *διδάσκαλον*, tamen *μαθητὴν* etiam a Photio male repetitum veram lectionem, Plutarchum autem erravisse puto [19]). Eiusdem generis est locus in vit. Aeschin. p. 840. B. C. ubi duae caussae celeberrimae, una de falsa legatione, altera de corona confunduntur, et in vit. De-

---

18) Tertium errorum genus a librariis commissorum admisissem, nisi totius libri forma ita esset comparata, ut quid auctor, quid librarius deliquerit plerumque certo demonstrari nequeat. Quaedam tamen etiam scribis imputanda, ut quae corruptissima leguntur in vit. Antiph. p. 833. A., in vit. Lys. p. 836. A., alia.

19) De hoc loco acute nuper iudicavit Kruegerus V. Cl. in vita Thucyd. Berol. 1832. 4. p. 34. Negat omnino Thucydidem Antiphontis discipulum fuisse, quamvis plurimi in ea fuerint sententia, ut ait Hermogenes d. f. or. II. p. 496., in quibus etiam Schol. Aristid. ad or. de quattuorvir. p. 131, Marcellin. vit. Thuc. 22, Suidas vv. *Ἀντιφῶν*, *Θουκυδίδης*, alii, id quod ex male intellecto loco Caecilii aut Plutarchi profectum esse putat. Cf. Phot. Bibl. Cod. CCLIX. p. 486. A. Bekk. Quae argumentatio etsi non libera est ab omni dubitatione, revera tamen verbis Caecilii allatis ut Antiphontis discipulus fuerit Thucydides non evincitur. Ipse illud coniectura consequutus erat. Item Caecilius, ut refert Plut. in vit. Aesch. p. 840. B. Leodamantis discipulum fuisse Aeschinem contendit, eodem modo, nisi me fallit, laude ductus qua Leodamantem cumulat Aeschines in or. c. Ctesiph. §. 138. Praeterea locum in Platonis Menex. prooem. p. 236. A. ad Thucydidem referri non posse recte demonstravit Krueger p. 35. sq. Ceterum nostro loco *καθηγητὴν* pro *μαθητὴν* scribendum esse non est Grauerti, sed Wyttenbachii coniectura.

mosth. p. 844. B. ubi falso *Ἡγησίας* pro *Δημήτριος* scriptum est. Iam vero damna ista abunde compensantur et plane evanescunt, si ad ingentem rerum utilissimarum copiam attendas, quae in hoc volumine continentur; ex quo quum Philostratum, Photium, Suidam, alios hausisse certum sit, reputantes quibus in tenebris eo iam pridem erepto versaremur, non possumus facere quin, quod Lamprias opus patris vel semiperfectum in publicum emiserit, laeto animo nobis gratulemur. Ego certe non dubito Plutarchum omnium non solum quidem, sed primum ac potissimum fontem dicere; quamquam non ubique illud quidem aperte commonstrari potest, quod quidam, ut *Philostratus*, quae ex Plutarcho desumpserunt, ad peculiarem suum finem accommodate conformare, interdum inepte deformare, certe luminibus verborum et sententiarum distinguere solebant [20]. *Photio* tamen nullus eorum apertius atque impudentius Plutarchum compilavit. Sunt autem qui nova quaedam afferant. Unum nomino, *Zosimum Ascalonitam* vel *Gazaeum*, cuius, ut mea fert opinio, Isocratis et Demosthenis vitas habemus haud spernendas [21]. In utraque insunt quae non leguntur apud Plutarchum; ut afferam exemplum, in vita Isocratis copiose disseritur de orationibus falso ei adscriptis [22], in altera Demosthenes ludum

---

20) Eiusmodi sunt quae de arte rhetorica et de tyrannide disputat Philostratus Vit. Soph. I. 15. p. 499. sq. ed. Olear.

21) Vitam *Demosthenis* Zosimi nomine inscriptam primum ex Codd. Romano et Parisino edidit *Reiskius* in Orr. Gr. t. IV. s. fin. p. 145—152. Auctor sic exorditur: *Δευτέρῳ λοιπὸν ἐπιβῆναι τῷ Παιανιεῖ καιρός. καὶ μή μοι χαλεπήνῃς, ὦ θεία κεφαλή, δεύτερος ταττόμενος, ἡδέως ἂν πρὸς αὐτὸν ἐφθεγξάμην. — διὸ προτελεσθέντες τοῖς* (aut *τῷ*) *τοῦ Θεοδώρου* (aut *Θεοδωρείου*) *οὕτως τοῖς σοῖς μυστηρίοις ἐπιχειρεῖν τολμῶμεν.* Maioris aliquanto pretii est quam et ex loco modo laudato et propter orationis similitudinem ab eodem auctore profectam esse auguror, vita *Isocratis*, quam primum ex duobus mss. Florent. ediderunt *Andr. Mustoxydes* et *Dem. Schinas* in *συλλογῇ ἀποσπασματίων ἀνεκδοτῶν Ἑλληνικῶν μετὰ σημειώσεων*, Venet. 1816. 8., repet. a Dindorfio in ed. orr. Isocratis et a Baitero in ed. panegyrici.

22) Isocr. orr. ed. Dindorf. p. XII.

aperuisse dicitur [23]). Haec, ut coniicio, exscripsit ex aliis harum vitarum scriptoribus, quibus in promptu adhuc erant scripta antiquissima, Apharei, Cephisodori [24]), Hermippi, aliorum; ipsum enim Zosimum, hominem aetatis inferioris [25]), hos fontes adiisse non est credibile. Plutarcho autem quod haec omiserit, id quod temporis vitio, non suo factum esse videtur, crimini dari non debet; nam quid operi semiperfecto addidisset aut non addidisset, si extrema manus ei accessisset, ad liquidum perduci plane non potest.

At optima quaeque veterum scripta Plutarchum non modo non ignorasse, verum etiam in hisce collectaneis exarandis diligenter adhibuisse quivis scit, qui vel strictim ea attigerit. Etenim usus est *historiae scriptorum* Cratippo p. 834. D, Ctesibio p. 844. C., Demetrio Magnesio p. 844. B. 847. A, Eratosthene p. 847. B., Diodoro, (Heliodoro) p. 849. C., Hellanico p. 834. B., Philochoro p. 846. B. 847. A., Satyro p. 847. A., Theopompo p. 833. A., Xenophonte p. 832. C., *oratorum* praeter eos quorum vitas scripsit Demochare p. 840. E., *criticorum* Caecilio p. 832. E. 833. C. D. 836. A. 838. D. 840. B., Dionysio Halicarnassensi p. 836. A. 838. D. [26]), Glauco Rhegino p. 833. D., Platone p. 836. B., *poetarum* Antiphane p. 845. B., Aristophane p. 836. E., Cratino p. 833. A., Philisco p. 836. C., Platone comico p. 833. C.,

---

23) Orr. Gr. Reisk. t. IV. p. 149. ὅθεν μισήσας — τοῦτο ποιῆσαι. Similia narrat Anonymus auctor vit. Dem. ap. Reisk. ibid. p. 154, quamquam alio rerum ordine. Item Libanius vit. Dem. p. 3. Reisk. σοφιστεύειν ἐνεχείρησεν. Quod licet certis testimoniis non sit confirmatum, tamen non plane damnandum est.

24) V. Dionys Halic. Isocr. cap. 18.

25) V. quae de Zosimo, Demosthenis interprete, disputavimus in histor. eloqu. Graecor. §. 57, 4. et §. 104, 12.

26) Interdum eum nomine non indicato adhibuit, ut in vit. Isocr. p. 837. B. χωρίσας πρῶτος τοὺς ἐριστικοὺς λόγους τῶν πολιτικῶν περὶ οὓς ἐσπούδασε. Dionys. Halic. Isocr. cap. 1. πρῶτος ἐχώρησεν ἀπὸ τῶν ἐριστικῶν τε καὶ φυσικῶν ἐπὶ τοὺς πολιτικοὺς καὶ περὶ ταύτην σπουδάζων τὴν ἐπιστήμην διετέλεσεν. In vit. Isaei p. 839. E. ὥστ' εἰ μὴ — εἰσίν ad verbum exscripsit eiusd. iud. d. Is. cap. 2.

Strattide p. 836. E., Theopompo comico p. 839. F., Timocle p. 845. B.

Quo catalogo scriptorum hoc etiam efficimus, ut istae vitae decem oratorum, quae Plutarchi nomine inscriptae sunt, primo post Chr. n. seculo aut ineunte secundo scriptae esse videantur; natus autem Plutarchus anno L. p. Chr. n. Nullus enim eorum quos laudavit scriptorum aetatem Caecilii et Dionysii Halicarnassensis excedit. Mirum certe posteriorum nullum commemorari, dum Photius, coniunctissimus eius assecla atque sectator, laudat Aristidem p. 491. B. 492. B., Aspasium p. 492. A., Libanium p. 492. A. 495. A., Longinum p. 492. A., Paulum Mysium p. 488. B. Quod si attendisset Taylor, ut taceam nunc Photium Plutarchea in epitomen coegisse, Plutarchum Photiana compilasse non credidisset. — Accedunt decreta quattuor, I. p. 833. sq. secundum quod placuit Antiphontem iudicari Ol. XCII. 2, II. p. 850. sq. a Demochare in honorem Demosthenis scriptum Ol. CXXV. 1, III. p. 851. in honorem Democharis scriptum a filio Lachete Ol. CXXVII. 2, IV. p. 852. latum a Stratocle in honorem Lycurgi Ol. CXVIII. 2. Haec quoque decreta ab iniuria iure vindicavit Beckerus ac satis probabili coniectura consequutus est, ut ex Crateri decretorum collectione desumpta esse viderentur [27]. In quibus si quid contra formam peccatum est, librario illud, sive adeo raptim scribenti auctori imputandum, non ipsorum fides et auctoritas in dubium vocanda. Nec mirum ea excepto primo alieno loco legi. Quum ista de Demosthene et Demochare exararet auctor, decreta eorum in honorem scripta adhuc exstare meminit [28]), ipsa postea sub finem adiecit si opus absolvendi data esset occasio in suo quodque loco collocaturus.

---

27) Andok. p. 124—128.

28) In Dem. p. 847. E. καὶ ἔστι τὰ ψηφίσματα ὑπὲρ ἀμφοτέρων ἀναγεγραμμένα. Xyl. vertit: *haec de utrisque decreta infra perscripta leges*, quod, quamvis vellem, in verbis non inest. Namque ἀναγράφειν solemne est voc. de rebus in acta referendis (quod nos *einregistriren*), imprimis de legibus ac decretis tabulae vel lapidi inscribendis. Vid. Lys. p. Polystr. p. 682. R., Dem. c. Timocr. p. 701. 709. c. Neaer. p. 1381. Patet igitur scribendum esse καὶ ἔστι, *exstant etiamnum*, non καί ἐστι. — Ce-

Iam vero ne cum ira et studio, quorum caussas procul habemus, haec disputasse ac specie quadam ducti haec collectanea laude cumulasse videamur, opus est ut demonstrare conemur, Plutarchum optimos scriptores non solum contulisse, sed optime etiam atque ea qua par erat diligentia contulisse. Quod licet mirum alicui videatur, quum horum virorum scripta ad unum omnia intercidissent, tamen experiamur quid ferre recusent quid valeant humeri. Hoc enim si bene ac prospere cesserit, de fide atque auctoritate huius libri recte demum iudicari poterit Optimos esse scriptores supra laudatos nemo negaverit, sed ne quem decipiant nomina incluta; optimus quisque fallitur; fallitur etiam qui, quae alius scripsit accurate, legit inconsiderate negligenterque, ut Photius, qui scribit: *Καικίλιος δὲ Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως μαθητὴν γεγονέναι φησὶ τὸν ῥήτορα*, quamvis accuratissime scribat Plutarchus: *Καικίλιος δὲ ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ συντάγματι Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως μαθητὴν τεκμαίρεται γεγονέναι ἐξ ὧν ἐπαινεῖται παρ' αὐτῷ ὁ Ἀντιφῶν*[29]. Sed ad maiora et graviora iam properat animus. Exstare in Plutarchi vitis parallelis vitam Demosthenis inter omnes constat: quam cum altera, quae est in vitis decem oratorum, comparare ut iubet veritatis ac studiorum amor, ita ad quaestionem nostram feliciter dirimendam maximi est momenti. Eiusmodi comparationem si Ionsius instituisset, utramque Plutarchum scribere potuisse profecto non negasset [30]).

Vitas decem oratorum aetate provectiore Plutarchum congessisse iam ex ipsarum forma colligas; non enim dispicitur quid eum adduxerit, ut opus magna diligentia inchoatum semiperfectum relinqueret. Contra Demosthenis vitam, quae legitur in parallelis, cap. 3. se ipsum ait scripsisse *ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ τῶν παραλλήλων ὄντι πέμπτῳ.* Licet autem quo tempore omnino vitas parallelas scripserit ad liquidum confessumque

---

terum in Lampriae catalogi exemplo Veneto nominibus oratorum ex ordine enumeratis parum accurate additum est: *σὺν τούτοις καὶ ψηφίσματα τρία ὑπὲρ Δημοσθένους.* Sed a potiore fit denominatio.

29) V. Annot. 19.

30) De hist. scr. phil. p. 235. Cf. Becker l. l. p. 116.

perduci nequeat [31]), tamen Demosthenis et Ciceronis vitas, quum numero XXVIII adhuc exstent, aliae vetustatem non tulerint, non multo postquam Roma subsidiis necessariis instructissimus Chaeroneam revertisset [32]) scripserit necesse est. Nec vero sub finem demum vitae ad decem oratores eum sese convertisse contendimus; iam paullo post scriptas Demosthenis et Ciceronis vitas consilium reliquorum Atticorum oratorum scribendi vitas capere eo facilius potuit, quo erat ab eorum lectione recentior, sed aliis occupationibus distentus prout otium erat hoc vel illud adiecit, extremam manum non imposuit. Quin in ipsa illa priore Demosthenis vita quod quaedam mutata vellet aut aliter constituta, alia quae desiderarentur addita, materiem ad novam summi oratoris vitam uberius atque rectius scribendam inter legendum undequaque congessit, additis simul eis quae ad reliquos oratorum principes pertinerent, quorum plurimos qui ignorat, Isocratem, Isaeum, Lycurgum, Aeschinem, Hyperidem, de ipso Demosthene recte iudicare vix potest [33]). Quae a Beckero [34]) iam indicata quum dudum animo volvissem, utriusque vitae comparatione iterum iterumque instituta eo demum adductus sum, ut Plutarchum priorem Demosthenis vitam posteriore emendare voluisse pro certo pene habeam. Quod ut efficeret, nova opus erat fontium investigatione. Atque in priore quidem vita Demosthenis scribenda contulerat scripta Aristonis Chii cap. 10. 30, Aristobuli cap. 23, Caecilii cap. 3, Ctesibii cap. 5, Demetrii Magnesii cap. 15. 27. (28.), Demetrii Phalerei cap. 9. 11. 14. (28.), Democharis cap. 30, Duridis cap. 19. 23, Era-

---

31) Vid. A. Lion de ordine quo Plutarchus vitas scripserit, Gotting. 1829. 4. p. 19. sq.

32) Plut. vit. Dem. cap. 2.

33) Antiphontis etiam aliorumque prioris aetatis oratorum vitae quod adiectae sint mirari Ionsium l. l. p. 234. miror. Sane aequales non erant; sed horum decem oratorum, ut qui omnes longe multumque superarent, canonem iam ab antiquis criticis constitutum esse, certe Plutarchi tempore valuisse, inter omnes constat. V. quae diximus in histor. eloq. Graecor. §. 40, 1. Cf. Becker l. l. p. 116.

34) l. l. p. 130. sq.

tosthenis cap. 9. 30, Hermippi cap. 5. 11. 28. 30, Idomenei cap. 15, Marsyae cap. 18, Phylarchi cap. 27, Theopompi cap. 4. 13. 14. 18. 21. 25, aliorum [35]). Horum plurimos etiam, ut vidimus, in vitis decem oratorum adhibuit; in vita Demosthenis nominat Demetrium Magnesium, Eratosthenem, Ctesibium; novi sunt Philochorus atque Satyrus. Iam ex eorum locorum, in quibus illi commemorantur, cum priore vita comparatione apparet, quomodo Plutarchus eorum scripta iterum contulerit.

Pag. 844. B. teste *Demetrio Magnesio* narrat Demosthenem precibus a magistro impetrasse, ut sibi liceret Callistratum, nobilem oratorem, Empaedi filium, audire verba tum ad populum facturum, quod in vita altera cap. 5. teste non adhibito, sed rectius narraverat de Callistrato in causa Oropica verba faciente, non apposito patris et pagi nomine, ut certe liceat verum cognomen *Καλλικράτους Ἀφιδναίου* cogitatione intelligere. Hoc autem loco Demetrii opinionem refert, non quod eam probaret, sed ut eam a vero discrepantem, ne alii a teste tam locuplete in errorem raperentur, olim notaret atque corrigeret. — *Pag.* 847. *A.* eundem *Demetrium* ait contendisse, ipsum Demosthenem in Calauria versus scripsisse, quos postmodo eius simulacro inscribi curaverunt Athenienses; sed in priore vita cap. 30. *οἱ γὰρ αὐτὸν τὸν Δημοσθένη τοῦτο ποιῆσαι λέγοντες ἐν Καλαυρίᾳ μέλλοντα τὸ φάρμακον προσφέρεσθαι κομιδῇ φλυαροῦσι.* Huius etiam erroris auctorem vel patronum ante tacito reprehensum excussis iterum veterum scriptis nominare nunc non dubitat. — *Pag.* 844. *C.* quae *Ctesibius* de Demosthene dixit, iam in priore vita cap. 5. indicata: *Κτησιβίου δὲ μέμνηται (Ἕρμιππος) λέγοντος παρὰ Καλλίου τοῦ Συρακουσίου καὶ τινων ἄλλων τὰς Ἰσοκράτους τέχνας καὶ τὰς Ἀλκιδάμαντος κρύφα λαβόντα τὸν Δημοσθένη καταμαθεῖν*, accuratius definit: *ὡς δὲ Κτησίβιός φησιν ἐν τῷ περὶ φιλοσοφίας, διὰ Καλλίου τοῦ Συρακουσίου πορισάμενος τοῦ Ζωΐλου τοῦ Ἀμφιπολίτου λόγους, διὰ δὲ Χαρικλέους τοῦ Καρυστίου τοὺς*

35) Vit. Demosth. cap. 30. *τῶν δ᾽ ἄλλων, ὅσοι γεγράφασι περὶ αὐτοῦ, πάμπολλοι δέ εἰσι, τὰς διαφορὰς οὐκ ἀναγκαῖον ἐπεξελθεῖν.*

Ἀλκιδάμαντος ἀνέλαβεν αὐτούς. — *Pag.* 846. *B.* novum est quod ex *Philochoro* de Harpalo refertur; de qua re alio loco uberius disserere in animo est. — *Pag.* 847. *A.* coniunctim quae ferebantur de Demosthenis morte opiniones memorantur, imprimis *Philochori*, *Satyri*, *Eratosthenis*, quorum nova sunt priorum testimonia, *Eratosthenis* iam in altera vita cap. 30. propositum his verbis: Ἐρατοσθένης δὲ καὶ αὐτὸς ἐν κρίκῳ φησὶ κοίλῳ τὸ φάρμακον φυλάσσειν, τὸν δὲ κρίκον εἶναι τοῦτον αὐτῷ φόρημα περιβραχιόνιον· nunc paullo accuratius ac fortasse ipsis Eratosthenis verbis: Ἐρατοσθένης δὲ ἐκ πολλοῦ δεδοικότα Μακεδόνας περὶ τῷ βραχίονι κρίκον περικεῖσθαι πεφαρμαγμένον. — Novum incrementum denique operi attulit adhibitis decretis duobus pag. 850. sq., de quibus supra exposuimus.

Iure videor mihi ex his colligere, Plutarchum quum vitas decem oratorum describere constituisset, accurate veterum scriptis iterum collatis quaedam ad priorem Demosthenis vitam emendandam diligenter collegisse. Idem autem ei in universa Demosthenis vita describenda propositum fuisse idque eodem modo eum persequutum esse licet aeque gravibus argumentis demonstrari non possit, quia veterum testimonia praeter ea quae laudavimus nulla affert [36]): videor tamen illud mihi non minus probabiliter demonstrare posse accurata utriusque vitae instituenda comparatione. Qua in argumentatione duo potissimum in quaestionem sunt vocanda; nam qui novam libri curat editionem, et corrigit ea quae in priore non satis recte se habere videantur, et addit alia quae olim omissa erant. Quare primum de eis dicamus quae in posteriore Demosthenis vita a Plutarcho scripta cum priore discrepant, tum de eis quae plane nova in altera reperiuntur.

Ac primum quidem has vitas non ita comparatas esse

36) Non indicato fonte his in vitis omnino raro, licet adsit suspicio, demonstrari potest, unde aliquid desumptum sit, ut ex *Hermippo*, quod dicit in vit. Isocr. p. 839. B. γηράσαντα δὲ — θυγάτριον; vid. Athen. XIII. p. 592. D. et in vit. Hyperid. p. 849. D. ἐποιεῖτό τε τὸν περίπατον ἐν τῇ ἰχθυοπώλιδι ὁσημέραι, et quae praecedunt, ex *Idomeneo.* V. Athen. VIII. p. 342. C. et XIII. p. 590. C. D. Cf. annot. 26 et 41.

dico, ut quaquaversus inter se discrepent; quaedam certe in utraque leguntur, hic uberius, illic brevius descripta; sunt ea tamen et paucissima et magnam partem levia ac pusilla, aut talia quae servandi tenoris caussa in quavis vitae descriptione locum habent, quo pertinet ut sciat lector, quo sit ille loco natus, quo genere, quo modo vixerit, quo interierit. At ubivis tamen vel in pusillis manum auctoris licet cernere emendatricem. Sic, ut alia omittam (nam minimam quamque horum librorum discrepantiam anxie perscrutari atque enotare non est propositum), in eis quae paullo quam ante accuratius dicuntur *pag.* 844. *D.* de Midia, *πλήξαντα αὐτὸν ἐν τῷ θεάτρῳ χορηγοῦντα*, coll. vit. alt. cap. 12; *pag.* 845. *B.* de Lamacho, *παραναστὰς ἀρχαίων ποιητῶν μαρτυρίας προηνέγκατο περὶ τῶν Θηβαίοις καὶ Ὀλυνθίοις καλῶς πραχθέντων*, coll. vit. alt. cap. 9, ubi Lamachus *Μυρρινᾶῖος* vocatur, hic fortasse rectius *Τερειναῖος*; *pag.* 845. *E.* de Demosthenis fuga ex pugna Chaeronensi, *φεύγοντος δὲ αὐτοῦ βάτον ἐπιλαβέσθαι τῆς χλαμύδος, τὸν δὲ ἐπιστραφέντα εἰπεῖν*, *Ζώγρει*, coll. vit. alt. cap. 20; item in eis quae leguntur *pag.* 845. *E.* plane contraria eis quae olim cap. 26. scripsit; illic Demosthenes, hic Aeschines ex urbe profugere, illic inimici, hic Demosthenes fugientem prosequi, consolari, donare; *pag.* 846. *B. C.* quae narrat de causa Harpalica, coll. vit. alt. cap. 25. 26; *pag.* 846. *C.* ubi Polyeuctum dicit ab Atheniensibus legatum esse ad Arcades missum, quum in vit. alt. cap. 27. non satis accurate dixisset: *Δημοσθένης δὲ τοῖς ἐξ ἄστεος πρεσβεύουσι προσμίξας ἑαυτόν·* quos licet plures fuisse concedam, caput legationis Polyeuctum fuisse nunc primum comperimus; *pag.* 846. *E.* de adventu Antipatri, coll. vit. alt. cap. 28; *pag.* 847. *C.* de uxore, coll. vit. alt. cap. 15; *pag.* 847. *F.* de pecuniis a rege Persarum acceptis, coll. vit. alt. cap. 20.[37]).

---

37) Miretur aliquis, Plutarchum nusquam hoc in libro alteram vitam Demosthenis commemorare; sed ipse auctor sibi scribens, non aliis, quorsum haec omnia spectarent bene intellexit atque fortasse in suo exemplari annotavit. Vitas decem oratorum autem alibi nec ab ipso Plutarcho nec ab aliis scriptoribus commemorari non est mirum; ipse opus aetate provectiore inchoavit

Iam ad alteram partem transeuntibus, qua quae nova antiquis auctor addiderit quaeramus, haud pauca item nobis suppeditant, quibus non temere et inconsiderate, sed accurata iterum rei instituta pervestigatione hanc vitam scripsisse Plutarchum demonstrari possit. Ut breviter dicam, nova sunt quae *pag.* 844. leguntur scripta de elocutione Demosthenis, de Neoptolemo histrione, *pag.* 845. de Andronico histrione, de Eubulide Milesio, tum quod in Thaso suaserit Demosthenes mercenarios alere, quod furti accusatus sit, quando natus sit, *pag.* 846. quoties coronatus (coll. p. 848. C.), *pag.* 847. quam diu vixerit, quos liberos habuerit et cognatos, quo modo a populo sit honoratus, quot scripserit orationes; deinde quod ab Ephialte corruptus sit et *pag.* 848. Anaxinum hospitem ad torquendum dederit; denique multa eius aliorumque facete dicta, ut p. 845. C. 846. D. 847. E. F. 848. A. B. C. Quae omnia licet ex quibus fontibus hauserit Plutarchus, quia de eis non exposuit, ignoremus, tamen non solum ex eis quae supra disputavimus, verum etiam ex ipsa harum rerum natura atque indole optimis quibusque scriptis eum usum esse concludo. Ipsum enim eas confinxisse confictasque memoriae tradidisse nemo contenderit. At largiamur aliquid veritati. Non omnia ex aeque puris fontibus prodierunt, ipsum Plutarchum quaedam improbasse pro certo habeo; haec autem a reliquis secernere non licet, quia auctor opus non absolvit, neque ea quae undequaque congesserat in ordinem digessit atque disceptavit. Verum si potiora quaedam ad veritatem accommodate dicta esse aliunde demonstraveris, sequitur, non quidem ut omnia vera sint, sed tamen ut plurima veterum scriptorum testimoniis confirmata esse videantur. Qua in re quamvis vix me contineam quin latius evager, modus tamen tenendus est nec fines commentationis transeundi. Unum igitur locum eligam, quo fide dignum esse Plutarchum demonstrem.

Pag. 845. *D.* verba leguntur haec: ἑπτὰ δὲ καὶ τριάκοντα

---

nec absolvit; reliqui (nisi casu factum est ut sicut alia multa hoc quoque silentio praeterirent) noverunt quidem et compilarunt, sed non absolutum iudicantes ad ipsos testes, quos Plutarchus excitavit, provocare malebant.

